

cum iurejurando factus omnium possessorum in illa civitate consistentium, sed non in hac urbe degentium. — § 1. Jusjurandum vero præbens, quod omnia secundum legem ac jus agat, et omnium communiter, confirmandis autem sicut nunc ex præcepto gloriosissimorum nostrorum præferendum: in biennio vero administrans solo, et removendus a cura: non habente licentiam clarissimo provincie iudice removendi eum: sed si quid videatur agere non recte, nunciare ad gloriosissimos præfectos, ut inde ei fiat curæ privato, unde etiam datur.

CAP. II.

Nulla existente licentia administratori, aut ipsis defensoribus, vires agentes defensorum facere, sed etiam hoc omnibus eis interdicitur modis. Sed neque proprias vires agentes per civitates clarissimos iudices destinare, nisi ipsos defensores, quos iudicum officium complere in civitatibus volumus: ipsos quoque in omnibus diligentiam adhibere civitatibus in quibus sunt.

CAP. III. Ut omnia monumenta apud defensores insinuentur.

Et agi apud defensores, testamentorum insinuationes, et donationum, et quicquid aliud est monumentorum proprium: non valente clarissimo provincie iudice prohibere quod agendum est, aut præcipere, quia non velit aliquid agi, aut actum non edi: non enim huiusmodi alicujus ei omnino potestatem damus, absurdissimum existimantes, necessariis rebus cedere homines propter iudicum forte irrationabiles motus atque præceptiones, sed etiam agere quæcumque voluerit et edere: et licet quod agitur, tangat provincie præsidem, aut quemlibet potentium, neque hoc prohibere. Oportet etenim sic agere eos qui in administrationibus sunt, aut in qualibet potestate, non ut prohibeant quædam fieri contra se gesta, sed ita inculpabilem suum præbeant modum, ut nulli detur tempus querimoniarum adversus eos: et si affuerit civitatibus iudex, sive non, nequaquam prohibeatur quisquam agere apud defensores quædam monumenta in quibuscumque voluerit, præter illa sola quæ jurisdictione egent, et ex ipsa iudicum auctoritate pendunt. — § 1. Deinde et his qui publicas exactiones habent, civitatum defensores omnibus auxiliari modis, et si opus fuerit occasione contemptus contumacie tributiariorum, monumenta conficere: et hæc fieri velociter jubemus, et interesse, ut inordinate agentes videant, et his ipsis testimonium perhibere, vel publicum removere tumultum, et absolute iudicum obtinere ordinem et maxima quando absunt: et officiales provincie quicumque in civitate sunt illa in qua defensor est, obedire illi, et adjuvare, ut absentibus præsidibus gentium, nihil videatur deesse civitatibus sub illorum presentia. Ex provinciali autem officio habere et exceptorem eis administrantem, et duos officiales, qui ea quæ ab eis decernuntur, adimpleant. — § 2. Et iudicare in causis omnibus pecuniariis usque ad aureos trecentos: non valentibus nostris subjectis trahere sibi implet obligatos ad clarissimos provinciarum iudices, si usque ad prædictam trecentorum solidorum quantitatem lis consistat.

CAP. IV.

Sed neque pro hoc ipso actores amplius æstimare litem, ut conterant reos, et non civitatis defensori, sed provincie deferant iudici. Sed si quid tale egerint, et sententia manifestet minorem esse litem trecentorum aureorum, et studio actam, et apud provinciam iudicem, et non civitatis defensorem examinaretur: solum actorem omni litis subdi dispendio.

CAP. V.

Et a defensoribus appellationes ad ipsos fieri iudices. Si vero egerint aliquid injuriosum circa defensores officiales: tunc provinciarum præsidem ulcisci et castigare officiales [possint.] Licentiam enim damus defensoribus, si hoc neglexerint præsidem gentium, sedis tamen eminentie huc nunciare, ut inde detur auxilium eis, et vindicta competens: et re vera defensores eos esse contra delinquentes, habentes iudiciali claritatis et honestatis imitationem. — § 1. Et si cadere contigerit civitatis defensorem: mox ad alium deferri decretum, qui ex circulo vocatur, eum dudum dicto iurejurando, et suscipere quidem mox curam; decretum vero nuntiari et confirmari a tuo culmine: et nequaquam defensoribus vires agentes (sicut prædiximus) dari: ne rursus priori confusio demus quasi rationabilem occasionem. — § 2. Præcepta vero faciat tua eminentia per unamquamque provinciam, ut in civitatibus habitio quædam publica distribuatur, in qua conveniens est defensores monumenta recondere, eligendo quendam in provincia qui horum habeat custodiam: quatenus incorrupta maneat hæc, et velociter inveniantur a requirentibus: et sic

4. Auth. Hocie, C. de iudicis. — 5. Inst. de offic. iud. in pr. — 6. Abrog. l. 1. C. h. t. — 7. e. 1. pr. sup. hic. — 8. d. e. 1. § 1. — 9. N. 8, e. 1. — 10. l. 7. C. h. t. — 11. e. 5, § 1, sup. hic. — 12. e. 1. pr. sup. eod. — 13. d. e. 1, in pr.; e. 2, § 1, sup. eod. — 14. d. e. 5, § 1.

apud eos archivum, et quod hactenus prætermisum est in civitatibus emendetur.

CAP. VI.

Quia vero etiam defensores civitatum extra omne commodum sunt: et pro decretis eorum, si quidem civitates majores sunt, quatuor solummodo dabuntur aurei foro tuæ sublimitatis: si vero minores, tres: sicut jam dudum nostris constitutum est legibus: si vero quædam salaria habent publica, etiam hæc secundum consuetudinem percipient. — § 1. Audient quoque leviora crimina, et castigationi competenti contradent: et eos qui in majoribus criminibus capiuntur, detruent in carcerem, et mittent ad provincie præsidem; sic enim fruatur civitas unaquæque cura judiciali: et omnis gens sub majori constituta iudice majorem sentiet providentiam: et rescindantur plurimæ iudicum curæ, cum civitatum defensores in semetipsis eas imponunt, et levigant præsidum quas pro omnibus hominibus habent sollicitudines, ipsi particulariter removeantes ea quæ vim patientibus inferuntur, aut dubitationes solventes, et honestos (sicut sæpe dictum est) eos qui in administrationibus sunt, demonstrantes. Si vero etiam detineantur ab aliquibus publicæ functiones: gentium præsidem defensoribus imperabunt contra detentores exactiones: ut et secundum hoc eos adjuvent. Si qua vero defensoris præter hæc fiat ordinatio, aut tenuerit aliquis defensoris officium in semetipsum veniens, sive dignitatis, sive militie, sive privilegii, sive alterius cujuspiam occasione: iste quinque librarum auri subjectus poenæ, etiam sic post ejus exactionem ad opera civitatis proficentem cogatur defensoris implere sollicitudinem. Convenit enim unumquemque nihilominus semper functionem agere civitatum quas inhabitat, et hæc eis conferre habitiois repensationem.

EPILOGUS.

Quæ igitur placuerunt nobis, et per hæc sacram insinuata sunt legem, tua sublimitas in provinciis quibus præest, facere manifesta per programmata propria studeat: quatenus cognoscant omnes, quia et maxime et mediocrium et parvulorum nobis cura est, et nihil est tale quod a nostra sollicitudine removeamus. Partem vero faciat tua eminentia suorum præceptorum: ut ex hoc jam gentium præsidem præparent secundum unamquamque civitatem eos qui bonæ opinionis sunt nominari defensores secundum circulum (sicut jam dictum) et decreta fieri communia cum iurejurando in eis habito, et describere prædictum circulum: et ita per biennium subintrare curam eos qui subsequuntur: et si ceciderit quisquam ex eis, alium introduci: semper quidem decreto cum iurejurando faciendo: ipsoque dum futurus fuerit curam suscipere, definitum jusjurandum subeunte, et electione ejus faciendâ a Deo amabili episcopo, et venerabili clero, et aliis in civitate bonæ opinionis studentibus: quod etiam nunc mox fieri convenit, omnibus (sicut dictum est) secundum hanc nostram generalem procedentibus legem. Nunc autem defensores existentes, siquidem placiti videantur, etiam ipsos inseribi circulo, et biennio complere curam, et siquidem jam biennium in ea cura habent, removeri defensoris sollicitudine: nisi tamen voluerint communi decreto teneri eos biennio in eodem officio. Si vero nondum biennium impleverint, digni vero videantur communicare circulo, impleant reliquum tempus, ultra quod nullus civitatem defendat: sed usque ad hoc solum stet tempus: nisi cuncta civitas reluctante nullo elegerit eum: et hoc factò, alio biennio suscipiat sollicitudinem, et modis omnibus deponatur: et tunc rursus fiat, quando ipse eum circulus ad hunc adduxerit ordinem: ne frequentia et continuatio curæ, et per quendam machinationem illud semper renovando fiat aliquibus infinita prædicta gubernatio. His omnibus valituris in omne tempus: quoniam cum toto hoc studio et vigilantia et Domini Dei intuitu advenimus, et nostris subjectis contulimus. — Dat. 16 kal. August. Constantinop., BELISARIO V. C. CONS.

TIT. III.

DE MENSURA ORDINANDORUM CLERICORUM.

NOVELLA CONSTIT. XVI.

Idem, Imp. Anthemio sanctiss. et beatiss. archiepiscopo Constantinopolitano, et universali patriarchæ.

PREFATIO.

Legem nuper scripsimus de mensura ordinationum, et ut non com-

1. — 15. d. e. 1, § 1, d. e. 5, § 1.

TIT. III. — 1. N. 5, e. 1; N. 6, e. 8. — 2. d. N. 5, e. 1; d. N. 6, e. 8.

petere effusas eas esse, neque in sanctissima majore ecclesia hujus felicissimæ civitatis neque in aliis: quam etiam firmam esse, et valere secundum omnem suum volumus virtutem. Quia vero intentio nobis est abbreviare quidem ordinationes, huic autem sanctissimæ majore ecclesie excellentem expensam ad mediocrem quandam atque portabilem reducere quantitatem, quatenus multitudo ei expensarum minuatur: propter hoc omnem circumventam viam, ad præsentem venimus legem: nihil quidem aliud existentem a priore, sed ex ejus procedentem voluntate, adhuc autem amplius sanctissimæ majore ecclesie prodesse valentem.

CAP. I.

Sanctimus enim, si in quibusdam sanctissimarum ecclesiarum (quarum ipsa sanctissima major ecclesia gubernationem et expensas suscepit) contigerit aut presbyterum, aut diaconum, aut lectorem, aut cantorem mori, non alium mox extrinsecus introduci, sed considerare quanta tunc est mensura ibidem ministrantium reverendissimorum clericorum. Et si quidem nondum clericorum minuta mensura est, sed adhuc abundant quantum ad id quod superius definivimus, et ut vocant statutum, nullam fieri pro eo ordinationem, donec numerus in [remedio] ipso restituatur. Si vero sic diminuta multitudo est, ut necessitas sit, ne desit statutus numerus, alium pro moriente introduci clericum considerare beatitudinem tuam, si quis est in aliis ecclesiis citra sanctissimam majorem ecclesiam, ex abundantia ejusdem ordinis clericus: et exinde restituere alium, et non novam facere ordinationem. Sic enim dum ex eo quod plus est, semper hoc quod deficit, impletur: bona et Deo amabilis imponitur causæ mensura: et sic sanctissima mater ecclesia paulatim debitis liberabitur. Alioquin si quod defuerit quidem compleatur introductionibus extraneis: quod vero plus est, non minuatur plurimum et indefinitum transiet tempus, donec omne quod plus est, minuatur.

EPILOGUS.

Tua igitur beatitudo, ea quæ propter sanctissimarum ecclesiarum utilitatem recte nobis placuerunt, operi effectuique contradere festinet. Etenim si quid fiat præter hæc, scire necesse est cum, qui contra hanc nostram legem suscipere ordinationem præsumperit, nihil hinc utilitatis habiturum, neque reputabitur a reverendissimis æconomis in hac parte facta sanctissimæ majore ecclesie expensa: sed ipsi ex hoc cognoscent damnatum a semetipsis hunc suæ negligentie recipientes fructum. — Datum idib. August. Constantinop., post consulatum BELISARII V. C. 7.

TIT. IV.

DE MANDATIS PRINCIPUM.

NOVELLA CONSTIT. XVII.

Imp. JUSTIN. AUGUST. Triboniano quaestori sacri nostri palatii, et exconsuli.

PREFATIO LATINA.

Ex libris antiquis, qui jura romani nominis continebant, non ignota tua sublimitas, quanta de mandatis principum legumlatores in suo puique volumine conscripserunt. Quia igitur nobis reparantibus omnem vetustatem jam deperditam ac diminutam, placuit etiam omnibus iudicibus nostris, qui minores vel medias administrationes gerunt sive inter correctores, sive inter consulares, sive inter spectabiles ordinentur, non solum codicillos præstare, sed etiam mandata dare, quibus inspectis omnia gubernare laudabiliter possint: ideo librum mandatorum composuimus, qui subter per utramque linguam annexus est: ut detur administratoribus nostris secundum locorum qualitatem, in quibus romana vel græca lingua frequentatur, scire eorum sanctionem: ut nihil ex his audeant præterire, sed saluberrimas dispositiones nostras observantes, in perpetuum nostras provincias, nostroque imperio subjectos gubernare festinent. Illustis igitur auctoritas tua, ad quam quaestoria pertinet censura, eadem mandata et in libris legum transcribi, et in sacro laterculo deponi præcipiat: quatenus ex his una cum codicillis suscipiendis, administratores, quemalmodum possint republicæ subvenire, non ignorent. — Dat. 16 kal. Maji, post consulatum BELISARII V. C. CONS.

In nomine Domini Jesu Christi Dei nostri, imperator Caesar Flavius Justinianus, Alamanicus, Gothicus, Francicus, Germanicus, Anticus, Alanicus, Vandalicus, Africanus, pius, felix, gloriosus, victor, triumphator, semper adorandus, Augustus.

TIT. IV. — 1. Lih. 1, e. 15. — 2. Fac. l. 6, in fin. D. de offic. procons. l. 3, in fin. D. de offic. præsid. — 3. N. 8, e. 9. — 4. d. N. 8, e. 1. — 5. d. N. 2, e. 8. — 6. Fac. l. 1, § 1, D. de offic. præf. urbi: l. 5, in fin.; l. 15, pr. D. de offic. præsid. l. 28, § 3, D. de penis. — 7. N. 8, in pr. — 8. Authent. Nisi breves, C. de sec. ex p. relicto. — 9. Adde l. 6, D. de sec.

Jam quidem in generali nostræ pietatis lege omnia declarata sunt, in quibus conveniens est administrationes accipientes, eas gubernare, memorantes jusjurandum quod super his præstatur. Necessarium tamen existimavimus etiam nunc percipienti tibi administrationem, designare quod a progenitoribus republicæ nostræ adinventum est: qui ad administrationes directis certa præcepta dabant, mandata principum ea vocantes, secundum quæ oporteret eos gubernare administrationes.

CAP. I. Ut gratis creati magistratus, gratuitas quoque manus servent, erga Deum, imperatorem, et legem.

Oportet igitur te pure sumentem administrationem, et sine omni suffragio, præ omnibus aliis mundas servare Deo nobisque et legi manus, et nullum contingere lucrum, neque majus, neque minus: neque captivum quiddam contra subjectos facere, negotiatione: sed contentum esse solis a fisco tibi ministratis, et tam per te quam per eos qui circa te sunt purum eis undique servare jus. Et festinare primum quidem fiscalia tributa exigi vigilantem, nihil diminuens circa publicam curam requirere, ne forte fiscus inde minuatur, et salvare ei undique quæ propria sunt. Sicut enim privatos injustitiam passos adjuvamus, sic et publicum illæsum manere volumus. Collatores namque omni alia calumnia liberi conservati, facile et in promptu solvent tributa: et qui in furta prius dantes, manebant debentes adhuc fiscalia, ex nunc ipsis fiscalibus exsolventes, liberabunt facile se tributis.

CAP. II. Ut caveant magistratus, ne quæ seditiones excitentur, et quieti publicæ omnium ordinum invigilent.

Deinde conveniens est te providere, ut nulli populi civitatem alterutris seditiones faciant, sed omnem pacem esse Dei civitatibus, dum æquitas etiam hinc nostris subjectis servatur, et neque lucri neque passionis alicujus causa, ad aliquam partium declinatur.

CAP. III. Ut breviores et viliores causæ sine scripto decidantur: et sportularum modus servetur.

Sit tibi quoque tertium studium, lites cum omni æquitate audire, et omnes quidem breviores, et quæcumque maxime vilium sunt, ex non scripto decidere, et iudicare, et liberare omnes alterna contentione, et non permittere in aliquo ultra quam continetur sacra nostra constitutione, occasione casualium expensarum damnificari, si tamen sufficientes in datione consistant: aliqui etiam gratis lites audire, et non permittere ex negligentia de provincia alicujus præsidis quemquam ad hanc currere felicissimam civitatem, et nobis molestum esse. Scito namque, quia si quis veniat, et additionem nobis faciat, et a nobis interrogatus si prius te adit, deinde te dicat adisse, et quod justum est, non impetrasse, et hoc verum inveniamus, in te indignationem convertemus. Si vero cum te non adierit, venire ad hanc regiam præsumperit civitatem, et remitte-mus eum cum omni correctione, et responsum non dabimus.

CAP. IV. Ne præsidem permittant executores aut magisterianos aliqui formarum et portuum causa exigere.

Deinde competens est te etiam hinc venientes sive ex magisteriano, sive ex quolibet foro, non permittere lædere, nec superexigere subjectos nostros. Sed si quis adierit tale aliquid quaestus: hoc et exsequi, et indemnitate ei procurare, et neque permittere alicui proferenti præcepta cujuscumque fori, hæc videlicet quæ solemniter dirigantur, formarum etiam aquæ causa, et portuum, et itinerum sternendorum, et imaginum, et murorum, et domuum destructioni tanquam in publico factorum, et aliarum talium, damnificare nostros subjectos. Non enim volumus, nec per talem causam ullum eis inferri damnum. Ipse vero omnium horum providebis sine damno omni gestum. Si quis autem cui tale aliquid jussum est, veniat: omnino non respicias eum, nisi sacram nostram pragmaticam ostendat formam pro hoc scriptam: tunc tu suscipiens quidem talem formam, non autem aliqui agens ex ea, antequam ad nos nuntians secundam præceptionem nostram suscipias. — § 1. Sed etiam pro ubertate necessariorum, et operum civitatum diligentiam habebis: procurans ex civilibus pecuniis patres quæ valde necessariae sunt operum facere, et pontium, similiter et viarum, et portuum, et in quibus omnino sunt locis provincie cui præsidem: portuumque, et mororum curam habebis: et quidquid omnino est publico, et civitatibus utile, et cogitabis, et facies, et nunciabis. — § 2. Habebis autem obediens tibi, et qui in provincia sunt milites, in quibus eorum opus habueris ad ministerium justum. Quod si delinquentes inveneris: sub omni castigatione decenti in super ex emolumentis eorum satisfieri læsis procurabis.

cus. — 10. L. 1, pr. D. de appellat. — 11. L. 26, § 3, C. de epis. aud. — 12. L. 7, D. de offic. præsid. — 13. L. 7, § 1, D. de offic. procons.; l. un. C. de rat. oper. — 14. e. 10, in fin. infr. hic.

CAP. V. De criminibus.

Non permittas privilegiis¹⁵ aliquibus uti nocentes; sed illud solum eis in auxilium observatis, ut undique puri horum quæ eis inferuntur, et innoxii videantur. Homicidia¹⁶ autem, et adulteria, virginumque dirptiones, et invasiones, et oppressiones, ita cum vehementia corrigere, puniens delinquentes secundum nostras leges, ut paulatim supplicium alios omnes faciat salvos. — § 1. Præcipue vero officiales¹⁷ tuos retinebis, non permittens eis subjectos nostros depradari¹⁸; neque ut illi officiales videantur quidem tibi, pro veritate autem tuæ præsent voluntati. — § 2. Festinabis etiam consiliarium¹⁹, et quicumque fuerit circa te, assumere virum optimum, et parum undique, et contentum iis quæ a fisco dantur, et si quid præter spem accesserit, et non inveneris cum custodientem tibi fidem justam: illum quidem expelles: alio vero uteris consiliario, legem et justitiam cum puris servante manibus. — § 3. Talem vero præbebis temetipsum omnibus et publice, et privatim, ut²⁰ terribilis quidem sis delinquentibus, et indevotis circa fiscalia²¹: mansuetissimus autem et mitis omnibus placidis et devotis, et paternam eis exhibens providentiam.

CAP. VI. De fide publica aut securitate non passim danda.

Sed neque hæc quæ dicuntur *verba*²², id est iurandum, prompte dare festines, in amplius tempus: sed et cum examinatione in tempore mediocri²³, et non transcendente *triginta dierum inducias*, ne ex hoc infinitè sint hominibus ad invicem contentiones. Si vero etiam aliquem sub nuncupato *verbo* feceris: deinde aliquis adierit adversus eum: deduces quidem eum, custodiens datum ei *verbum*: et examinabis negotium, *verbo* ubique servato; et si etiam contra eum sententia necessaria sit, condemnabis eum et duorum propones electionem, utrum velit dato *verbo* absolute abrenuntiare, et agere quæ iudicata sunt, an non. Certe si hoc non: sacris cum terminis restitues et tibi executionem inferes temperate, et cum debita venerabilibus locis reverentia.

CAP. VII. Ut termini sanctorum homicidii, etc., non prosint.

Neque autem homicidii, neque adulterii, neque virginum²⁴ raptorum delinquentibus terminorum custodias *cautelam*; sed etiam inde²⁵ extrahes, et supplicium eis inferes. Non enim talia delinquentibus parcere competit, sed hoc patientibus: ut non talia a presumptoribus partiantur. Deinde temporum cautela non nocentibus, sed læsis, datur a lege: et non erit possibile utrumque tueri cautela sanctorum locorum, et lædentem, et læsum. — § 1. Publicorum vero tributorum exactiones etiam²⁶ intra templa decenter fieri procurabis: quoniam *fiscalium ratio et militibus, et privatis ipsique templis, et cunctæ reipublicæ utilis et necessaria est*. Auxiliabuntur tibi ad hoc etiam Deo amabili ecclesiarum defensores, et economi: nullum horum, qui fiscalia tributa exigunt, abripientes exactioni, sed neque permittentes violentum aut seditiosum aliquid pati exactionem inferentes: scientes quia si quid tale gesserint, de suo satisfacere fisco cogentur.

CAP. VIII. Ut cogant exactores tributorum in apochis suis exprimere quantitatem zygocephalorum.

Coges autem publicos exactores in suis de susceptis²⁷ manifesta facere omnia in quibus ea dederunt, nempe quantitatem zygocephalorum²⁸, aut jugorum, aut jugalium, aut quolibet modo per regiones nuncupantur: et pro quibus hæc et qualibet prædiis exiguntur: et daturum quantitatem, sive in speciebus, sive in auro. Et interminaberis eis, et magnum damnum, et *manus amputationem*, si hoc quod præcipitur quidem semper, usque nunc autem non custoditum est, non deinceps omnibus servent modis. Si vero (ut assolet) de elinationem inveniunt aliquam, dicentes non posse jugorum poni quantitatem: maxime quidem eos malignari putamus: sed tamen nihil hinc lædatur fisco nec collatores: fisco etenim sine præiudicio omnia sua percipiat, et solenniter celebrata suscepta percipiant si qui hæc exsolverint, nihil exigendi amplius. Causa vero in nullo lædatur, et secundum consuetudinem quidem tributa solvantur ab eis, et inferantur fisco. Nuntiatur autem ad gloriosissimos nostros præfectos de istis primitus cogendis censualibus nuncupatas *expositiones* subtiliter dare, ut ex hoc fiat causæ iudicatio: et sic interim secundum consuetudinem quidem datis fiscalibus inculpabiliter inferendis, quicquid in iis quæ dubitantur, gloriosissimi nostri præfecti iudicaverint, in iis quæ controversa sunt, hæc valere: necessitatem ha-

15. N. 8, e. 12; L. 3, in fin. D. de offic. præsid. — 16. L. 13, pr. D. d. 1 — 17. L. 6, § 3, 4, 5, 6, D. d. 1 — 18. c. 10, vers. sed neque, inf. lic. — 19. For. tit. C. de adhesionib. et D. de offic. adhesion. — 20. For. l. 19, § 1, de offic. præsid. — 21. c. 8, inf. lic. — N. 8, c. 8. — 22. N. 128, c. 13, Edict. 2 et 13, c. 10, § 2, 3. — 23. For. l. 1, § 2, D. de iur. iur. et neque privat. — 24. c. 5, pr. sup. lic. — 25. *Adde* l. 1, § 6, § 5, C. de his qui ad eccles. — N. 27, circa fin. N. 217, c. ult. § 1. — 26. d. L. 6, § 4; N. 135, c. 13, Edict. 10, c. 1. — 27. N.

bitentibus exactoribus, post cognitam veritatem super his quæstionibus, et in illis de cætero quantitatem zygocephalorum, et aliorum omnium describere, secundum quod a nobis jam ordinatum est. — § 1. Non²⁹ permittas autem curialibus, aut *censualibus*, dum vendita sunt prædia eorum, aut in alias personas mutatur possessio, tergiversationibus uti quibusdam, et non transferri a venditoribus ad emptores prædia: sed coges eos omnino facere mutationes sine damno. Si vero dixerint minus idoneos esse emptores, et propterea non fieri migrationem: hoc ipsum examinabis sine quolibet damno: et si quidem idonei fuerint emptores, coges fiscalium præsales omnibus modis et sine quolibet damno celebrare transpositionem. Si vero pro veritate eos inveneris non satis idoneos, coges venditores hoc ipsum profiteri ad gesta, quia periculo eorum transpositio fit fiscalium tributorum in eos qui ab ipsis emunt: hoc quod etiam in Oriente novimus in multis fieri gentibus. Sic enim neque fisco nocetur, et fiscalia tributa a possessoribus inferuntur, ut non alii quidem sint possessores, alii vero collatores. Oportet enim maxime contra possessores fieri collationes: sed non contra non detinentes neque possidentes terras.

CAP. IX. De protectionibus præsidum, ne provinciales angariis, etc., vexent, etc.

Illud tamen te volumus nosse: quia si quando præceperimus ad alias forte proficisci te provincias, competens est contentum te iis quæ de fisco largiuntur, non gratis expendere: neque nostros subjectos atterere, sed ex quibus in provincia consistens expendebas, ex his ipsis et ad alias proficiscentem regiones facere expensas: neque angariis³⁰ collatores affligentem, neque te, neque obediens tibi officium: sed propriis quidem subjugalibus propriaque expensa agere iter, hoc ipso custodiendo, vel si non ultra terminos properes provinciam: sed propter quandam occasionem necessariam circumeas civitates.

CAP. X.

Eos autem qui vocantur loci servatores, dare iudices in civitatibus provinciam cui præsidet, (licet spectabiles viri, vel clarissimi, vel prædes sint) omnibus interdictionibus modis. Sed neque si militis aliquid sequantur te, neque illos gratis permittas expendere, sed ex propriis emolumentis. Si vero hoc non egerint, sed ex tributis expendierint, et angarias acceperint: omne quicquid damnificabuntur subjecti, hoc ex³¹ eorum emolumentis exigens proprio periculo læsis servabis.

CAP. XI. Ut præses oblatas sibi de religione jussiones contemnât.

Neque occasione³² religionum hæresumque quæstionibus³³ permittas alicui provinciam commovere, aut aliter quandam perceptionem injungi provinciam cui præses: ipse vero providebis cum competenti utilitate fiscalibus, et quæ alia sunt perscrutari: et non permittere aliquid contra nostras fieri præceptiones occasione religionum. Si vero canonicum sit quod quaeritur, una cum metropolita provinciam hoc disponere, et decernere, sive episcopi dubitent, sive alii quidam, et causæ dare Deo amabilem, et decibilem terminum, qui et decenter orthodoxam custodiat fidem, et indemnitate procuret fiscalibus, et nostros subjectos servet inviolatos.

CAP. XII. De capitali crimine damnatis, ut bona eorum non publicentur, sed propinquis relinquuntur.

Oportet autem te, et in hoc omnem ponere providentiam, cum aliquis dignus apparuerit pena illum quidem punire, res autem ejus non contingere, sed *sinere eas*³⁴ generi et legi, et secundum illam ordinem. Non enim res sunt, quæ delinquenti, sed qui res possident, ad illi reciprocant ordinem: eos quidem qui digni sunt pena, dimittunt, illorum autem auferunt res, alios pro illis punientes, quos lex forte ad illorum vocavit successionem.

CAP. XIII. De injustis patrociniis prohibendis.

Patrocina quoque injusta, quæ cognoscimus in nostris provinciis fieri, omnibus corrigere modis, non sinens ulli aliorum vitas in se suscipere, non ampliari sibi prædia nullo modo ei competentia, non in aliorum læsionem præmittere patrociniis³⁵, non quemadmodum fraudant fisco, suam virtutem objicere. Neque sit tibi cura cujuslibet sint hæc agentes domini: sufficit enim per omnia tibi ad perfectam fortitudinem et lex, et imperii favor.

28. c. 5. — 28. L. 2, C. ut nemini lic. in empt. — 29. Auth. Sed et periculum, C. sine censu vel reliquis — 30. N. 138, c. 23; 134, c. 1, vers. neque vero. — 31. c. 4, in fin. sup. lic. — 32. *Adde* l. 2, C. de summa Trinit. — 33. *Adde* Edict. 2, c. 1; N. 163, c. 1. — 34. L. 7, D. de bonis damnatis; l. 4, D. de iure patron. l. 5, D. de interd. et relig. l. 19, C. de bon. prescript.; L. 5, C. ad leg. Jul. majest.; N. 154, c. ult. — 35. Fac. tit. C. ne liceat potentioribus patrocini.

CAP. XIV. De alienis colonis, et capite censu, ut nemo eos suscipere audeat.

Sed etiam suscipientes alienos agricolas sic odio habebis, sic compelles cito reddere quod suscipiant male, ut si plurimum manserint inobedientes, omne quicquid in onus provincie est, illorum possessionibus hoc impones. Si vero in aliis provinciis agricolæ dicantur esse constituti, literis³⁶ uteris publicis ad provinciarum præsides, ut in eas fugientes³⁷ agricolas conflentes aut convictos tradant possessionibus, et revocentur ad provinciam cui præses, et inobedientes vehementer corripies minus doneorum abiectione. Competens enim est, talia studentem, hinc onus, et rerum diminutionem in sua facultate cognoscere: ut minoratus cognoscat, quantum est lædere, et delinquere in alios. Sed hoc ipsum age sive prædia possidentes in provincia sint, sive aliorum aliis competenti gubernatores sint. Oportet etenim et possessores illa solum habere quæ eis dat lex, et gubernatores alienarum illis præesse solummodo, quæ per conductionem aut alium legitimum eis sunt tradita modum: extraneis autem abstinere: et non providere quidem aliis, lædere vero alios et sibi met lucrum impium ex hoc acquirere.

CAP. XV. De titulis³⁸ affixis alienis prædiis.

Titulos³⁹ autem imponere prædiis alienis, aut ergasteriis in civitatibus constitutis, et superscribere sua vocabula ita præsumptibus periculoso esse scias, ut agnoscat, quia hæc agentes ipsi suam substantiam applicabunt fisco. Si enim causam soli imperio et fisco datam tentaverit aliquis arripere, in suis agnoscat experimentum: et suis rebus titulis impostis publicis, fiat aliis exemplum abstinentie: qui si isdem implicentur malis, similibus subdentur pœnis. Hæc igitur omnia observa, sciens nostram circa te voluntatem atque sententiam, qualis quidem erit delinquente te, qualis autem probato, et nostra sequente præcepta, ac leges.

CAP. XVI. Quid primum facere debeant præses cum provinciam ingrediuntur.

Mox autem ut ingredieris provinciam, convocatis omnibus in metropoli constitutis (dicimus autem Deo amabili episcopo, et venerabili dero, et nobilibus civitatis) insinuabis hæc nostra sacra præcepta sub gestorum insinuatione: et propones exemplar eorum publice, non solum in metropoli, sed etiam in aliis provinciæ civitatibus, transmittens ea per officiales tuos sine damno: ut omnes cognoscant in quibus suscepti cingulum, et videant, si hoc conservas, et nostro dignum temetipsum ostendis iudicio?

CAP. XVII. De armis.

Hæc enim conservata apud te faciunt præsentem tibi cingulum diuturniorem, et gloriosiorum, si quidem super alia, neque armis⁴⁰ uti non militatam permittes alicui. Hæc te et Deo, et legibus et nobis carissimum constituunt. Sed et illud providebis, ut, si quis eorum qui popululum in turbas sollicitant, tentarit aliquando ab hæc magna civitate fugere aut solus, aut cum aliis, et venerit in provinciam cui præses: quatenus investigare de hoc, et examinare cum omni subtilitate et cautela [causæ] et ubi constitierit, nunciare hoc si forte dignæ inquisitione sint personæ, et adduci ad hæc felicissimam civitatem, et penas sustentare, quæ lex de talibus constituit. — Dat. 16 kal. Maji Constantinop., BZILIANO V. C. 535.

TIT. V.

DE TRIENTE¹ ET SEMISSE, ET SUCCESSIONIBUS FILIORUM ET NEPOTUM NATURALIUM²: ET COLLATIONIBUS³, VEL DISTRIBUTIONIBUS⁴, NICNON ET LITERARUM⁵ AUT NUMERATIONUM, ATQUE RERUM EX QUIBUS DETINENT, INFICATIONIBUS.

NOVELLA CONSTIT. XVIII.

Imperat. Just. August. Joanni gloriosissimo præfecto sacrorum per Orientem prætoriorum, iterum exconsuli et patricio.

PREFATIO.

Jam quidem magnæ huic, et ut ita quis dicat, bene a Deo constitutæ

36. *Adde* l. 7, D. de custod. et exhibit. reor.; N. 90, c. 5; 134, c. 5. — 37. L. 12, C. de agric. et censu. — 38. N. 164, c. 1. — 39. Fac. tit. C. ut nemo privatus titulos. — 40. *Adde* 2, Feud. 27, § 5.

reipublicæ (dicimus Romanorum) plurima de testamentis disposita sunt, et pleni legum codices de talibus consistunt: et non solum sapientes antiqui hæc scripserunt, aut piorum potestas imperatorum: sed etiam a nobis jam non aliquo priorum principum minus legislationes prolata sunt: Deum vero semper considerantes, et quatenus ei placiti videamur, et aliquid bonorum dignum in nobis agamus: nitimur aliquid adinventire semper, et naturæ consequens, et quod possit priora corrigere. Frequenter igitur et alia vice mirati sumus, quomodo legitimis et benevolis filiis, quibus agunt gratias parentes, quibusque quod relinquunt, jam etiam debitum vocant: solum triumcium definitur ex necessitate relinquere: reliquum vero jacet in voluntate parentum: et capiunt quidem cognati omnia, et extranei, vel cum libertate servi: filii vero licet multi consistant: etiamsi nihil offenderint parentes, confunduntur: et triumcium dividunt solum, vel si decem forte aut amplius fuerint: et pauperes erunt filii patris, donec vixerit, idonei.

CAP. I. De legitima portione liberis relinquenda, id est, triente, si intra quaternarium numerum consistant: aut semisse, si quaternarium numerum excedant.

Hæc⁶ nos moverunt corrigere legem, et non eam despiciere semper erubescens: talique modo determinare causam, ut si quidem unius⁷ est filii pater aut mater: aut duorum vel trium, vel quatuor: non triumcum eis relinquere solum, sed etiam tertiam propria substantiæ partem: hoc est, uncias quatuor: et hanc esse definitam mensuram usque ad prædictum numerum. Si vero ultra quatuor habuerint filios, mediam eis totius substantiæ relinquere partem, ut sexuncium sit omnino quod debetur, singulis ex æquo⁸ quadriuncium vel sexuncium dividendo: et hoc non sub injusta circumstantia rerum (forsan enim ob hoc etiam alii injustitiam patiuntur, et alii quidem meliora, aliis vero deteriora percipientibus), sed quod contigerit unumquemque per omnia æquum esse in qualitate et quantitate, sive quis illud institutionis modo, sive⁹ per legati, idem est dicere, et si per fideicommissi relinquat occasionem: licebit enim ei reliquum octuncium forte aut sexuncium habere: et largiri sicut voluerit filiis ipsis: aut cuilibet extraneorum: et natura primo curata competenter, sic ad extraneas largitates accedere: hoc observando in omnibus personis, in quibus ab initio antiquæ quartæ ratio de inofficioso lege decreta est.

CAP. II. Ut legitima portio filiorum curialium sit dodrans.

Excipiatur¹⁰ autem a nobis de curialibus nuper posita lex, quæ filiis curialibus aut filiabus curialibus nubentibus noniuncium omnino dari vult, reliquo triumcio a parentibus secundum potestatem dispensando omnibus aliis de inofficioso positus legibus, et præcipue nostris, in sua virtute servandis, et de ingratissimis¹¹ filiis, et de naturalibus¹² præter solum quantitatem, quam ad præsentem auximus secundum omnes prædictas definitiones.

CAP. III. Si liberis suis pater nudam proprietatem, et uxori usufructum omnem reliquerit.

Prohibemus autem et illud grave existens, et habens quidem aliquam legalem occasionem, in duram tamen incidens crudelitatem et amaritudinem. Novimus enim aliqua testamenta secundum quæ morientes, non paterne, nec ut viros oportebat, sed nimis molliter atque remisse fecerunt institutiones uxoris, siquidem illis omnem reliquerunt suarum rerum usufructum, filiis autem proprietatem nudam. Quamobrem arbitrator studium esse hujusmodi testamentis, uxores etiam proprietatem acquirere, filiis forte fame peremptis. Unde enim, et in medio gubernentur, et quotidianum habeant cibum, nihil eis derelicto, uxoris iria, forsas et irrationabili, intercedente, quæ eis etiam quotidianam gubernationem abripiat? Non licebit igitur de cætero ulli omnino filios habenti, tale aliquid agere, sed modis omnibus eis hujus legitime partis quam nunc deputavimus, et usufructum¹³, insuper et proprietatem relinquat, si vult filiorum non repente fame morientium, sed vivere valentium vocari pater. Et hæc omnia dicimus non in patre solo, sed et in matre, et avo, et proavo, et adjunctis unicuique femininarum personis, id est, avia et proavia, sive paterna, sive materna sint.

CAP. IV. Quemadmodum liberi ab intestato per scemininum sexum descendentes, succedere debeant.

Neque¹⁴ illo de cætero servando in nepotibus, et pronepotibus non suis, et sub potestate constitutis, minus¹⁵ tertia parte eos habere, quam

c. 48; N. 39, c. 1. — 8. L. 11, C. fam. eriscund. — 9. Mat. N. 115, c. 5, in pr. — 10. N. 58. — 11. d. N. 115, c. 5. — 12. c. 5, inf. lic. — 13. *Adde* l. 50, pr.; L. 52, L. 56, C. de inoffic. testam.; vide tamen l. 37, D. de usufr. l. pat.; L. 18, in fin. C. de excusat. tut.; L. 8, D. de usufr. adreac. — 14. Authent. Que tertiam, C. de collationib. — 15. § 15, Inst. de hered. que ab in test.; L. 9, C. de suis; L. 19, C. de collationib.